



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS,

No. 19.







2

Literæ,
de
Pace nuper Polonos inter
& Turcas initâ,
â
Ministro Brandenburgico
in
Comitiis Warfaviensibus
divulgata,
unâ cum
Responsione ad illas à verò civē
Polonicò datâ.

FREISTADII.

Litterae
de
Pace inter Polonos inter
& Turcas inita

Ministro Brandenburgico

in
Comitiis Westphalicis

Responsione ad illas 2. per 6. eius

Polonos data.

CHRISTIANI



*Copia scripti alicujus, ex idiomate Gallicô trans-
lati, quod Nobilis Polonus ad Principem Germanum dedit,
in quo Pacis cum Turcarum Imperatore initæ
conditiones examinantur.*

Vobsequar Serenitatis tuæ jussis,
multa me monent, a deoq; jure quôdam postu-
lare à me potest, quodcunque animo collibitum
fuit. Præsentiautem postulationi ut satisfaciam,
ingenuè profiteor, quòd cordatiores omnes
Regni nostri Cives arbitrentur, pacem hanc no-
stram Polonicam cum Turcis, artibus Gallicis cojisse, allaborâs-
seq; in ea constituenda maximè Proceres Gallix, ut scilicet aliam
quasi faciem induant Germanix rebus ac septentrionalibus re-
gnis. Idq; negotii sibi maximè dare censuit Rex Gallix, ut, quic-
quid conatibus suis obstare videtur, removeat, ne quicquam cur-
sum suarum Victoriarum remoretur. Igitur ut alias solet, sic ne-
que in hac re pepercit ullis sumptibus aut largitionibus, quibus
procul dubio corruptit & aulam nostram & Ottomannicam por-
tam. Sed minus sapienter rationes suas instituit Gallix Rex, quæ
ejusmodi pacem, tam multis laborantem difficultatibus, pangere
præsumserit. Nam primùm in comitiis nostris regni omnia sub
exquisitissimæ indagationis incudem revocabuntur, pax isthæc
proficua huic regno sit, nec ne. Etenim si perdurare deberet illa,
retinerent in potestate sua Turcæ Caminecium & Podoliam unâ
cum maxima Ukraine parte, quæ res cladem maximam calami-
tatemque inevitabilem Polonis accerferet. Nam si Caminecium
cum reliquis jam recensitis provinciis Turcico imperio paret,
duo nos mala, eaque ineluctabilia, manent. Primum est ad
quacumque intestinam regni nostri discordiam subita Turcarum
irruptio; alterum libertatis nostræ imminutio, qua ope Turci-
corum subsidiorum, pensis nempe tributis vel pecuniis, Poloniæ
Rex

Rex plenariam atque absolutam in nos potestatem constabilire
 posset. Quòdque tales opiniones foveat Rex, hæc fidem facit
 quòd ab officio summi Locum-tenentis se abdicare, spartamque
 illam Nobili alicui ex ordine nostro cedere, hæctenus recusaverit.
 Quemadmodum verò scimus, quòd Gallia multum de libertate
 sua perdidit, cum Proceres istius regni simplices adeò ac immi-
 nuti quasi essent iudicii, concederentque, ut Hugo Capetus sub
 persona filii sui, officium Majoris domûs cum regno uniret, sic
 non in minori timore sumus, Regem nostrum pari modò turbare
 rem nostram posse, si diuturniori morâ vel ipse gerat munus hoc
 porrò, vel in Filium suum derivet. Tantò magis verò illud nobis
 pertimescendum est, quantò impensius à Gallorum vaferrimis
 machinationibus gubernatur, a que studiis partibusque Turca-
 rum pendet tenacius. Ex omnibus hisce firmiter colligo, non
 eum suffragiorum omnium in Comitibus Polonicis arbitrum ac
 dispensatorem fore, uti quidem in Gallia creditum fuit; & arbi-
 tror ego, summopere eum operam navare debere, ut pax illa cum
 Turca coalita coroboretur. Suspicio de illo quotidie augetur pe-
 nes nos, dum natio nostra splendidam adeò victoriam de Turcis
 reportavit & tamen ignominiosa hæc pax consecuta, quæ ante
 aliquot menses pacta videtur, quæque non prius in conspectum
 & in publicum prodire potuit ex claustris suis, quibus delitescere
 hæctenus visa fuit, quàm morte obierant honesti quidam & egre-
 gii publici amantes Viri, qui ambitiosis aulæ nostræ conatibus in-
 festi erant, & postquam miris modis vires nostræ accisæ emar-
 cuerunt. Deinde si contingat, de quo tamen addubito, ut pacis
 hujus conventa confirmantur in Comitibus nostris, minimè ta-
 men credendum est Remp. nostram suppetias esse laturam Sve-
 co, si quidem manet adhuc mente repòstum malum illud, quæ
 intulit nobis natio isthæc violentâ irruptione, quam eorum Rex
 qui modernum proximè antecessit, durante internâ nostrâ dif-
 fensione, in plerasque regni nostri provincias fecit, & eò usque
 progressus est, ut insultaret propemodum ipsius metropolis no-
 stræ portis. Tantoque magis subsidiariam opem Svecis ferre re-
 nuemus, quantò fixius animis nostris hæret, (si vera rerum vo-
 cabula

cabula usurpanda sunt, & scapham scapham dicere volumus) in eo libertatis nostræ momentum situm esse, si vicinorum Principum vires quàm maximis accessionibus locupletentur, qui e Svecorum commoditatibus Gallorum quærunt incommoda. Ubi contra, si industria nostra pro Svecorum negotiis promovendis desudet, facile fieri possit, (præsertim cum Svecorum res à Gallorum consiliis pendeant adguberneturque) ut Rex noster obicem libertati nostræ ponat, si nimirum subsidiariis pecuniis Galliæ, militibus Svecicis, & forte etiam Turcicis, adjuvetur. Quod tamen summis viribus impediendum nobis erit, ne ausis suis potiatur. Multùm ego diffido quoque, Galliarum Poloniaeque Reges speratos hujus pacis fructus esse decerpturos, magisque perivadeor, spem illam messis, quæ in herba adhuc est, esse decollaturam, & tam privato suo, quàm publico frustratum iri commodo. Unò verbo: omnium hujus regni hominum cor lætitiâ triumphat, si maximarum cladum voragini immersum viderent Svecum, sique minus secundioribus quoque fatibus Gallus uteretur, ut, si ad pristinum libertatis decus aspiraverit natio nostra, Rex eorum prohiberetur tantâ pecuniæ vi aulae nostræ dominari & novitatibus studere, quæ planè à ratione nostri statûs abluunt, cujus maxima gloria est, libertatem inconcusso flore fartam tectam conservare. Hæcque principaliora consilia sunt, quæ inter nos agitantur de infelici inito cum Turcis foedere. Hæc quoque sunt, quæ fugitivô calamô perscribere, & ad tuam Serenitatem Transmittere visum fuit. Sed si longiori tractatu pervidere isthæc, ac meditationi huic immorari sedet, altior rem res requirit indaginem, si præprimis commodum, quod Gallus exinde speraverit sibi, intimus penetrare volumus. Si verò dicendum id, quod res est, equidem dico, etiamsi mihi nondum arcanas Ottomannicæ Portæ rationes ac penetralia recludere contigit, pro tenui meo judicio, Gallum maximè spe suâ destitutum iri, si vel irrita pax fiat, vel confirmetur.

Primùm enim, etsi impensè gauderet Turca, si regnum hoc stante hæc pace vires suas imprudenter effunderet in auxilia Svecis ferenda, ut consumptis nostris viribus tantò alacrior vividior-

que surgeret ad laceffendum Regnum nostrum, ambitiosa que
Regis consilia confirmanda; non tamen æquis oculis aspecturum
esse Turcam putandum est, si tam felicia auxilia ferrentur Sveco,
quæ alendo huic bello paria essent. Ex quo fieri posset, ut, dum
neuter cedere vellet, sed paria faceret, communis pax in Chri-
stiano orbe, positis tandem bellis, constitueretur. Siquidem hoc
planè Turcarum Rationi statûs repugnat, suppeditare media,
quibus tranquillitas & alta pax inter Christianos Principes reduci,
dissensioque contrâ profligari possit. Optimè non Porta Otto-
mannica scit, quò, si ejusmodi pax publica affulgere inciperet or-
bi, malè ageretur de rebus suis, quoniam ad centum millia lectis-
simum robur militum parari possit, qui Pontificis Romani glo-
riæque appetentium quorundam Principum instinctu ac ope Im-
perium suum invadere, populari ac prædas agere possent. Neq;
non excidit memoriâ consilium illud de Gigeri, à Gallo feliciter
captatum, cùm pacem inter se alerent. Nullusque ego dubito,
quin gratisimum foret Turcarum Imperatori, si Christianissi-
mus Rex (qui à parte mediterranei maris per quatuor dies in A-
fricam trajicere potest) alienis armis distineatur egregiè, ne oc-
casionis opportunitas præbeatur sic nullis implicito bellis ab illa
parte invadere Africam, Turcicosque deprædari subditos. Eo-
dem modò Rex Galliarum tragulam in se injectam sentiet, si Tur-
ca pacem cum regno hoc pepigerit, arma Imperatoris Romani
in Hungaria divertere in gratiam Galli audebit, hocque ex ratio-
ne satis firmâ commotus. Si non Turca hòc modò impressionem
in Hungariam faceret, alterutrum ex his certissimè accideret:
Vel enim Imperator, Gallicis quantumvis armis districtus, ob-
viam iret insolentiæ Turcarum, vel quiesceret. Si par est Proflig-
andis Turcarum copiis, non certè multum existimationis glo-
riæque colligeret propter ausum hunc satis grandem Turca, quin
præluderet potius infelicio ribus bellorum futurorum casibus: Si
verò debilitatæ multum vires Imperatoris impetum Turcarum
sustinere non valerent, credibile est, eum ad quasvis propositas
conditiones pacis multumque nocituras descendere debere cum
Gallo, tam ut propriis velificaretur commodis, quam aliorum
Prin-

Principum, qui in societate armorum cum illo stant. Et si hōc pactō pacis conditiones inirentur, certum est, Gallum victorias suas persecuturum, nec unquam Siciliā cessurum. Quin potius sine omni nudatione præsidiorum suorum quinquaginta vel sexaginta millia pugnacissimorum Virorum alere posset, qui cum classe valida, quæ mare mediterraneum circumnavigat, in Africam Italiamvè excensum navibus facerent, quæ res mirum quantum Turcarum fructus interciperet, eorumque rationes longè aliter institutas conturbaret. Et hoc magis etiam nutantem meam sententiam roborat, quò, cum, seditione Messinæ ortā, rebelles hi Turcarum sollicitarent opem, ipsi succurrere nollent laborantibus, sed adhortarentur potius, ut efferam belli rabiem pertæsi, mitioribus consiliis animum imbuerent, litesque cum suis Principibus ipsi componerent. Et hujus quidem instituti duas allegare possem causas: Prima est, ut Hispania tantum colligat virium, quæ, si non pellere, sustinere certè possent interminabilem Gallorum factum atque ambitiosissimos conatus: Altera est, quò Turcicus Imperator satis penetret inopiam debilitatemque virium Hispanicarum, quòdque multum etiam applaudat incrementis istis in æquilibrio quasi constitutis: pascitq; adeò oculos suavissimè quotiescunque videt Neapolin, Siciliam, Sardiniam, Majorcam & Minorcam à satis defecto viribus Domino gubernari, ut rebus sic fluentibus, si Hispanus impar sit gubernandis istis regionibus, Turca interim ipse melius in Turbido piscari, ac plerasque provincias sub prætextu quodam ac clandestinis artibus sui juris reddere posset. Cùm è contra, si Gallia istis potiretur victrix, Turca à proposito suo desistere ac vereri necesse haberet, ne dominium ipsius Archipelagi invaderent aliquando ac interverterent. Quemadmodum igitur nullò non tempore pro utilitatibus suis excubat ministrorum Turcicorum cura sagax, nec suis quoque commodis obstabunt imprudenter in Comitibus nostratibus Nostri; sic in eadem sententia perstat adhuc animus, pacem, inter nos & Turcas coalitam temerariè, rursus ruptum iri, nec quicquam utilitatis exinde in Gallum redundaturum, noxiãque potius fore credo, si tantum animi esset subditis ejus in

meridionalioribus provinciis, ab imposito rigidis cervicibus jugo
resilire. Hec verò sunt, Serenissime Princeps, quæ animo suc-
currerunt in materia hac uberius explicandâ, quæque diviniore
judicii trutinæ tuæ, Domine, libranda proposui.

*Copia sine originali, seu literæ in spatiis imagina-
riis Gallico Idiomate scriptæ, prælogis nuper
mandatæ confutantur.*

EX literis, quas ad calcem epistolæ posuisti: L. C. P. lego te esse le-
vem Calumniatorem Principum; Ex stilo Polonum te esse nego;
Theutonem intelligo; Ex conclusione Epistolari video, (quod ipse
expressis verbis fateris) naturalem imaginatricis facultatis tuæ conce-
ptum, per impressas diffusum paginas; & exinde prudens responsum
non mereris, jubente sacro Dogmate, ne respondeatur stulto, secun-
dum stultitiam ejus. Igitur brevibus nebulas tuas discutio, & multa
audentes imposturas sole veritatis ut nives recentes dissolvo.

Quicumq; discursus falso nituntur supposito, vocantur castella
aëri super ædificata, ridentur & temnuntur. Tale est ratiocinii tui fri-
volum fundamentum, dum supponis Regem nostrum invictum conclu-
sisse & subsignasse articulos Pacis Turcicæ. Nemo est in Polonia tam
ignarus rerum ad Zorawno gestarum, ut tu te esse testaris, eoq; ipso te
externum impostorem fateris. Scimus omnes Magnum Bellatorem
Regem nostrum spiritu Principali desuper confirmatum, se ad bellum
pro gloria Crucis contra Barbaros fortiter gerendum totis viribus ap-
plicuisse, Generaliumq; Comitiorum felicis Coronationis suæ eò dire-
xisse consilia, ut promissa ab Ordinibus regni fretus potentia, ultra Ty-
ram animosus progrediretur, proq; Istro veteri Sarmatorum limite
cum Ottomannis decertaret. Verum dum ex tua afficina emissarius
rumor pacem factam cum Ottomanno in manibus haberi, potentiam
solummodo ad oppugnandos Vicinos sub Prætextu belli Turcici parari,
vulgaverat, facile ingenuitati Poloniæ Illustri, ne arma virosq; daret
Principi optimo, non minori Zelo quam Godefridus quondam, aut Lu-
dovicus sacra bella promoventi. Ita inermis penè, ducta ad hostium
multitudinem proportionem, Rex magnanimus effusæ barbarici obviam
progressus, stitit quindecim millibus suorum ducentorum penè millium
effrenatam barbariem 60. majoribus tormentis instructam, ne plus &
ultra cædes & funera sparsura progrediretur, multis primo eandem
circa

(9)
circa expugnationem Arcis Woinilovicensis afflixit cladibus, tandem Vallorum receptus munimentis, quotidianis præliis suam fortitudinem ipsis æstimandam hostibus viginti per dies comprobavit, nec aliud expectans, quàm ut illi à luci, qui olim momentis intumescere solebant, hostium inundarent castra, memorando in posteritatem vincenda exemplo. Ac cum nec dum forte expiatis delictorum nostrorum reatibus autumnus velut naturæ suæ oblitus ultra morem sicciior omnes depresserat undas, separataq; à loci oportunitate Marti nostro negaverat subsidia, quid ultra faciendum erat? Nisi sepositam à Principe nostro Pacis mentionem per hostem denuò suscitatum & oblatam, ita acceptare, ut gloriose scenam illam, non bellum finire liceret.

Principi nostro relictus Campus, hostes præpeti se abripuere regressu, de fossis tot millium, asportatis pluribus Insigniorum hominum cadaveribus, quo acceptam celarent cladem, relictis in castris non paucis Tormentis, postpositis quas facere solebant excursionibus, redditis quindecim millibus illis captivis, quos pervicos & pagos eundo vincularant: articuli pactorum ad speciem conscripti, quorum alii indecisi, alii Reipubl. approbandi. Verbo dicam, non pecunia Gallia, ut allucinaris, sed fortitudo Principis nostri objectu Regiæ personæ suæ, ad instar Jovis Statoris, stitit calamitatem nostram; Respium à bello Reipublicæ paravit, turpitudinem Pacis ante quinquennium factæ abolevit; Dominum in Ukrayna hostium confessione retinuit, libertatem Religionis in locis occupatis effecit; Sacrum Sepulchrum Hierosolymitanum orthodoxæ fidei postliminio reddidit; Sibi & Reipublicæ contra dubios amicos certum paravit subsidium; seipsum, belli duces, florem militiæ ex faucibus fatorum reduxit, rem integram liberæ genti reportavit; bellumne, an pacem vellet ipsa de suis consuleret Fatis, se utraq; patrem Patriæ fore; sive Paci nomen dandum, sive sanguinis & vita bello in victimam ferenda. Indixit Generalia Regni Comitia; optimus Princeps, unde Legatum magnum mittet Respubl. qui super conditionibus Pacis, illas Portæ Ottomanicæ portabit declarationes, quas sui arbitra libertas volnerit. Ergò falsum suppositum tuum in quo tanta commenta extruis, hoc exploso risum non stomachum movebit. Architectura tua; maxime verò dum Anglicanus tubicen à Gallico & Britannico Legato cum officiis Mediationis ad castra Turcica Leopoli missus, in minutissimas dissectus partes, ejus confidentiæ, quam Gallos inter & Turcas commentaris, lucida orbi dederit argumenta; tua à culmine prostraverit fragmenta. Secundum est, ad quod respondeo. Principem nostrum absolutum affectare Imperium ex eo asseris, quod ad hæc usque tempora supremi Ducis officio se abdicare

B

recu

recusat. Vide tam grandis imposturae fundamentum. Domini Episcopi Regni, & cum illis viri magni perspectam habentes Regiam pietatem, & Ecclesiasticorum bonorum Patrocinium, ante aliquot annos innitam cum eo ratione summarum Hybernalium conventionem respiciebant, justeq; subverebantur, ne novus successor tam sanctum & pium opus subruere niteretur. Hi, posito bene calculo, solum Regem bellum Turcicum optime nosse, solum Regem militem habere obsequentem, solum Regem apud hostes in summa existimatione esse scientes, utriusque tam hi, quam illi, rogabant Regem in Comitibus felicis Coronationis suae, ne supremam dimitteret clavam. Petierunt, nec tamen impetrarunt; quia optimus Princeps noluit etiam firmis & justis rationibus limitare arbitrium Reipublicae nec conctabundus quondam Collegam, postea suum dixit in Imperio militari successorem. Jam integer decurrit annus post dimissam Clavam. Tu tamen te dicis Polonum, & haec ignoras, & super notaria impostura aedificas; Quod autem post dimissam Clavam Rex noster Regiam personam castris intraverit, fecit id primo ex amore in rem Christianam & Rempublicam fecit ex mente Reip. quae in Comitibus Coronis. Sortes suas in manibus optimi Principis reposuit; fecit denique, ex supplicatione ipsorum belli Ducum tam Regni, quam Mag: Duc: Lithuan: qui unanimi consensu exanime illius militiae credebant corpus, nisi Regio animaretur spiritu, cujus ex persona mille Clypeos sibi pendere unusquisque credebatur, omnes ex prudentia ejus salutem, ex fortitudine victoriam promittebant. Ergo tu non absolutum imperium times, sed absolutam unionem gentis nostrae, quae tibi ex conscientiae remorsu metuenda, ideo impostura tua gladium divisionis Poloniae inferre conatur, facit id, quod a tot annis solet, ut gens tam fortis impune vexari a te & injurari possit. Equidem sine tua exaggeratione novit optimus Princeps, & ingemiscit, quanta nobis imminere discrimina, ab incubo Patriae nostrae barbaro, sed quia Christianitati universae bella gerere placuit, nullos habitura Triumphos, & certare in commune nefas, ante murali suo Poloniae terga obvertere, dumque amici & proximi nostri de longe steterant, imò vim nobis faciebant ingenua credulitate gentis abutentes, res nostras turbantes, Regnum animorum sacratissimo Principi auferre cupientes, mirum est, quod Regum nostrorum maximus nec dum satis concedat consilium, cui humana impar est prudentia. Nec illud ridiculum omittere possum paradoxum, quod appellas capitale interesse conservationis libertatis nostrae in eo consistere, ut videamus vicinos nostros Syeticis ruinis potentiores fieri, indeque irre conciliabiles Galliae hostes.

Vide.

Vide, quæso, mi vesperilio, quàm insullè argumentaris. Profer unum exemplum; quid nobis unquam à Gallia mali? Primas ArchiEpiscoporum & Episcoporum sedes quondam apud nos occupaverant Galli, quod Cathedræ Guesnensis & aliarum Ecclesiarum testantur stemmatitia Lilia. Rudimenta fidei ab iisdem habemus; eorum sorbonæ alumnus Divus Stanislaus pietatis exemplar, Magnus Zamoxius Tribunalium Regni author. Et Gallia Henricum Regem sat modestè vix meritam Regni sui mulctam tolerantem: à Gallia Ludovicam Reginam de hoc Regno meritissimam; Inde pacem Olivensem. Ergò ne discrimine nostro amicæ semper Galliæ quæremus hostes? ergo libertas nostra tutior, si vicinitas evadet potentior? Quanta pars Regni nostri decessisset cum Majori Polonia, Vielunensisque, terra, si tantum in nos potuisset vicinitas, quantum se voluisse declaravit Mariæburgensibus & Labiaviensibus Pactis. Tandem finio, ne cum Phantasmate tuo furiosi ad instar Herculis pugnare videar. Nihil habes contra Principem meum, nisi quod publicas Regni sui magis, quam sperabas, sentiat injurias, quod ad nutus Theutonicos tam amasse, quàm odisse nec sciat, nec velit; quod supercilium Vestrum non adoret, quod bellator bellatori amicus, magnanimus magnanimum sine causa non adversetur Regem. Quod autem à Svecis illatas nobis allegas injurias, non multum proficis, nè dicam rebus tuis potius officis. Mortalia Princeps noster & Gens tota gerimus odia, quo si excitanda essent, illa prius resurgerent, quæ sunt ex læsa toties patientia acerrima. Jam verò quod longiorem Chimæricorum conceptum nectis catenam, qua Austriam, Ungariam, Sveciam, Seciliam, Galliam, velut in Triumpho ducturus, incomptè competitas, non est cur phantasticam excutiam prædam. Fateris utiq; meras esse imaginationes, quæ naturaliter spiritum tuum occupant, an exagitant. Quam mentis tuæ vastitatem sine invidia possessurus, cura imposteriorum, nè te Polonum fingas, in quo nil Polonum legere licet.

Nobilis Poloni, de statu moderno Reip.

judicium, Anno 1677. incunte.

EXpensis quæ nunc aguntur, passim publicè privatimque in Rep. consiliis, cum & animorum ad ea habitu, magis eidem metuo post pacem cum Turcis factam, quam cum bellum flagra-
ret. Fuit procul dubio grave & atrox illud bellum, quod accisis

rebus suis, undata externis auxiliis Resp. cum Christiani nomini, hoste gessit, sed non minus tristis ac luctuosa pax, pro quâ redimendâ maximis & fertilissimis provinciis Resp. patrimonii sui antiquissimâ parte æternum mulctatur, nec Camenecio tantum ab hoste capto, sed & Baro Mydzibozo aliisque plurimis munitis Reip. ante muralibus nostro hæctenus præsidio insessis decedere cogitur; Durum tamèn hanc ac Reip. nunquam non deplorandum pacem, beneficium suum jactitant Galli, nèc frustra id esse tum ex eo constat, quod de conditionibus pacis Constantinopoli, annitente Oratore Gallico conventum sit duos menses ante quàm in Coloniâ publici juris fierent, tum etiam quod à nonnullis qui consiliorum in aulâ participes fuerunt, jam Mense Septembri prædictum sit, pacem à Rege 17. die Octobr. conclusum iri: Dictum eventus probavit, & quæ pacis fabula jam ante in Thraciâ à Ministris Gallicis erat composita, nullo negotio scenam in Poloniâ implevit.

Equidem si tanto conatu id egisset Gallia, ut pace cum Turcis in itâ à violentis tot motibus ac bellis, quibus hæctenus jactata, respiraret Resp. ut exhausta penitus ac viribus defreta spiritum tandem reciperet non frustraremur eam suis laudibus, & quod nunc nobis imputare nititur beneficium agnosceremus; sed cum id unicè per subitam hanc pacem spectasse palam sit, ut Polonorum arma è turcico bello in Imperatorem & Electorem Brandenburgicum, graves ipsi ac Sveco Fæderato hostes convertat ut gladium è cervicibus Barbarorum depulsum in Christianorum detorqueat jugulum, ut pro æterno Christiani ac Poloni nominis hoste amicos vicinos ac Fæderatos Reip. impetat, ut reliquum sanguinis Poloni, reliquum fortunarum, ac tandem libertatem ipsam, ultimum Reip. bonum pro suo prodigat dominatu, ut non finiat sed mutet bellum, & pro pio impium substituat, qui ferat intempestivam hanc Gallorum pietatem, quæ nunquam minus sincera aut gratuite quam cum talis videri vult?

Et hæctenus quidem Gallici Svedicique Ministri tortuosa sua consilia per occultas artes, per Camerae lecreta, incautis civium nostrorum insinuare tentaverunt animis; nunc & in lucem pro-

producere eadem non verentur, & publicè privatimque variis artibus nostrorum studia ac vota premant; quod ut melius succedat, fingunt Regem ipsum, Optimum Principem & non sine præfatione honoris mihi nominandum, suis illigatum teneri consiliis, quâ sanè re incredibilem ipsi constant invidiam, apud me fidem non inveniunt. Est utique Polonus, spiritum quem ipsi Resp. mutuavit, Reip. non Galliæ debet, nec patrium diadema, quo cinctus, beneficium Galliæ est, sed civium suorum, qui virtutis ipsius scepro dignæ, non Gallici suffragii rationem habuerunt: His etiam solis non exterorum libidini debet omnem vitæ rationem, consilia, actiones; quis credat tantum principem suorum sanguinem fortunas vitam & quidquid earum mortales habent externæ gentis ambitioni post habiturum?

Vilcata Gallorum beneficia qualiacunq̃ue tandè sint, nimium non tantum Reip. sed & Regi ipsi ac stirpi Regiæ constabunt; si tanti erunt emenda quænam injuria, velle ut Rex ab ipsorum consiliis, nutu arbitrio pendent? ut illorum partes etiam cum Reip. subversione conjunctas ubiq̃ue amplectatur? ut internecini istius ac æterni odii, quod Gallos inter & Austriacos est, contagium in nos derivet? adeonè hostes erunt Regi ac Reip. in quoscunq̃ue ambitio Gallica ferrum stringit etiam amici, foederati, nec ullius in Regem aut Reip. injuriæ Rei? hæc si nos fors maneret, num deterior Tartarorum, qui istâ lege Imperio Turcico obnoxii sunt? horruimus tributarii esse Turcæ & meritò, sed hæc ratione pejus quid erimus, quum tributarii Galliæ. Et superiore & hoc evo gens nostra, in Electione Regum prudens Candidatos præterivit quicunq̃ue exteris beneficio obnoxii aut verò eorundem æmuli ac hostes habebantur, scilicet ut Rex creatus ab odio & gratiâ immunis, non nisi suorum caritate flagrat, nèc quicquam aliud nisi Polonorum commoda, salutem securitatem cogitaret huic rationi ipse Rex, Piasiris sceptrum debet hæc solâ illud in stirpem transmittet suam. Meruit virtute suâ ut in eo nova stirps Regnatrix inciperet, hanc firmabit & scepro admovebit, non aurum nèc ambitus Gallicus, sed amor Nobilitatis Polonæ, quàm prorsus alienari à Rege & stirpe Re-

gia necessum est, si incolumitate in suam exterorum consilia ac veritatibus postponi sentiat. Ecquis enim ferat, aut suffragium suum commodet Candidato odio vicinorum imbuto ac in-nutrito? Quicumque in spem Regni apud nos nascitur aut edu-catur, affectus suos Reip. regendos permittere, non amorem non odium fovere debet, nisi à Reip. inditum aut probatum: quod adeoque vel ipsi Reginae Gallica consilia suspecta reddere deberet, si propius sanguinis cura ac caritas illam tangeret.

Et sanè si probè rem aestimare velimus, deprehendemus Gallica molimina atque consilia infausta semper imò funestu Po-loniae fuisse, ne singula excutiam, memorandum in omne ævum contemptus Gallici erga Polonos exemplum præbet profectio, an fuga Henrici Valesii, ad quem majores nostri, viri graves ac cordati tantâ exarserunt indignatione, ut jam tum de excluden-dis in perpetuum à Regni ambitu candidatis qui Gallia suffragiis juvarentur, agitaretur. Ludovicæ Mariæ gesta, quid memo-rem? de quâ elegantè censor dignissimus exclamat. O quan-tum negotiis fuit una cum muliere? Numquam à Republica conditâ tot eandem turbæ ac intestina exercuerint disfidia, tan-rum diffidentia ac discordiarum inter proceres sparsum, ut vel indè non nisi summa omnium rerum confusio oriri potuerit, & Colonia scenam ac fontem omnium calamitatum suarum uni de-buerit Gallia. Non erubuerunt Galli pro Svecis contra Polo-nos stare, etiam ferrente inter utramque gentem bello, nec ma-jor in tractatu Oliveni apparuit fides, ibi enim, quamvis accisæ imprimis res essent Svecicæ, Gallicis artibus effectum est, ut Rex ac Resp. juri in Regnum Sveciæ competenti renuntiare, tota e-tiam Livonia Insulâ Oesiliensi & magna Curlandiæ parte cogere-ntur decedere. Nimirum id agitavit semper Gallia ut spoliis ac exaudio Poloniæ Svecus validior vires Austriacæ domus faci-liustrangeret. Ipsas illorum blanditias ac profusiones quibus in Electione regum hâc nostrâ ætate usi sunt, fallimur si ex alio fon-te derivasse credam, quam ut electo rege, gallicis partibus addicto haberent quo vicinis à Galliâ alienioribus metum ac terrorem ostentatione armorum polonorum incuterent, nèc aliud in præ-sens

sens tanto agunt conatu, ut non satis mirari liceat Gallicorum
 Svecicorumque Ministrorum audaciam, qui in ipsis Reip. visce-
 ribus in libera gentis conspectu, belli pacisque jus usurpant, non
 scus ac si Parisiis vel Holmiæ essent, vicinos Cæsarem in primis
 & Electorem Brandenburgicum hostes Reip. designant, & tan-
 tum non declarant, eique fini summo impediunt nisi, quo minus
 pacta sub auspiciis Regni firmari solita à Rege confirmentur.
 Ostenditur Hungaria seditionibus agitata, & quæ sponte fasces
 Bethunio regis auspiciis venturo submissura dicitur: utque Po-
 lonis funis fierit, pro libertate ibi pugnari spargitur: Ipse sedi-
 tiosorum in Hungaria princeps, P. Wesselenius à Bethunio in li-
 teris eidem inscriptis & in Hungariæ finibus interceptis, insigni-
 tus supremus militantis Hungariæ libertatis Generalis. Ab alte-
 râ parte monstratur Prussia Electoralis præsidio undata ac nu-
 tans; promittitur clasus Gallica in Balthicum mare trajectura,
 atque Pillariæ & Mummeliæ clavis Regi traditum; In ipsa nostrâ
 Prussiâ Reip. patrimonio aluntur cautè discordiarum fomenta,
 Lilienhökio authore, qui suscitato atrociori plebis Gedanensis in
 senatum odio, illam vel cum dispendio libertatis Regiam aucu-
 pari gratiam docet. Regi promittitur ingens pecuniæ vis ad bel-
 lum vicinis inferendum: nec ullis paritur blanditiis, muneribus,
 profusionibus: Jam ordo Sancti Spiritus nemini Regum Coro-
 natorum ante hæc oblatus aut acceptatus, cujus leges pro domi-
 natu Regum Galliarum stabiliendo conceptas quis ignorat? Jam ti-
 tulo Filix Franciæ Regina post Coronationem insignita, quæ
 tunc temporis par & æqualis Regiæ Franciæ, adeoque superior
 Filix Franciæ turbenda, quid de comitatu Rieusiensi à Rege
 Christianissimo inducatum ac Pariam Franciæ in gratiam libe-
 rorum regionum erecto? Cui tamen titulus ac fundus Princi-
 pum Poloniæ longè præferendus. Non minore ambitu, mino-
 ribus etiam opum ac honorum stimulis ordo senatorius atque
 Equestris sol. Licitantur nolo cuiquam meorum concivium gra-
 vis esse, commemorando quæ lucem fugiunt, quilibet sibi ipsi
 testis ac index esto. Equidem non adeo infelicem se Resp. sen-
 tit ut nec hodieque agnoscat veros ac genuinos cives suos, an-
 tiqui

qui moris & imprimis libertatis tenuissimos, qui ut nuper oblatum à Bethunio ordinem, ita alias etiam opum atque honorum illecebras libertatis amoris ac patriæ saluti posthabent magnaque contemnunt animo; Sed nec alios deesse dolet qui privatim degeneres in publicam exitiosi sua vulnera Reip. malis operire fatagunt, nec quicquam spei nisi per discordias & incerta turbarum habent. Sanè quamdiu nostris vicimus moribus absque injusta spe ac ambitu nostram contenti libertate, nil quicquam Reip. defuit, non opes, gloria, honores, concordia, non omnium denique rerum satietas quædam, nunc cum insana opum libido, quæ sæculi mores adflixit, etiam Remp. vitiis suis quasi sentina mercam traxerit: cum rapacissimus quisque ac perditissimus publicam ruinam malit quam suam proteri, quid aliud nisi omnium everfionem legum ac libertatis interitum expectamus?

Stupebit posteritas, stante adhuc dum Rep. absque ejus scitu aut præscitu, tantum licuisse Bethunio, ut in ipso Cracoviæ ambitu Regis Christianissimi sumptibus militem auctorare non sit veritus? frustra habitis ac spreteis optimi antistitis dehortationibus. Urque quò Poloni tam grande patientiæ donumentum dabit, & Luparenfia consilia Cracoviæ Varsaviæque agitari patienti? non ad turbas Vos concitare animus est, quin potius, cum Gallici Svedicique Ministri res turbatas velint, ad concordiam & quietem Reip. tam necessariam eos vocem.

Et quæ nos ad bellum cum vicinis suscipiendum propellere possent causæ? hæc enim adesse decet, nisi barbarorum imò ferarum ritu in bellum ruere velimus. Quicquid Gallici Svedicique Emissarii blaterent, tam Imperator, Princeps justus est Pius, quam Elector Brandenburgicus beneficiis potius genti nostræ quam injuriis cogniti sunt: Si quid superesse spargitur litium aut ab infestis confictum, aut tanti non est, ut Christiano cruore expiari, quin potius ipsæ preteusiones, quas Remp. adversus Electorem Brandenburgicum habere non ignoro, amicam disceptatione inter amicas vicinas ac fæderatas gentes sopiri debeant. Vera & unica causa est, sed quæ studiosè regitur, quod Galliæ Sveciæque intersit, Imperatoris vires Gallis in Alfatiam graves, Electoris verò
arma

arma, Svecis in Imperio ac Pomerania funesta, distrahi: Hunc ut obtineant scopum Remp. in casum dare, omnia civilibus furoribus miscere, ipsa divina humanaque jura evertere, Polonorum sanguinem ac fortunas belli injuriis exponere, imò suo dominatui impendere non erubescunt. Non credet posteritas, vixisse unquam in liberâ Rep. quibus hæc non ignorata, & tamèntolerata, nollem dicere, etiam probata fuere. Ite Poloni pugnate Gallis & Svecis, hoc unum ad evincenda ferum humanarum ludibria deerat, ut sciatur Polonos venalem sanguinem pro Svecis, quo infensorem hostem Respublica nullum experta est, prodigisse. Longè aliter olim Ludovico Maria, quæ misso ad Electorem Viro Illustri ingentibus illam præmiis & promissis ad bellum Svecis in Pomeraniam inferendum sollicitavit, gratius id Reip. futurum asserens, quam si Thoruniam atque Elbingam, quæ tunc Svecico præsidio tenebantur, recuperaret, nunc pugnabimus ut Pomerania Svecis servetur, nè deinceps illis adhuc semel Remp. invadendi & Prusis partibus, insidiandi opportunitas desit.

Sed quid de causis belli solliciti scimus, si tam facilis tam certa victoria, quam Galli ac Sveci nobis promittunt. Nè fallamur & sic nobis venditur fumus, expendamus nostras & vicinorum vires, priusquam in arenam descendamus: nos continuis bellis attriti, viris armis opibus exhausti Pacem ac quietem ad recuperandas vires anhelantes vix tutantæ Reip. sufficimus. Nullus ordo nè sacer quidem à belli sumptibus immunis: adhuc dum omnes & singuli sub hospitationis militaris onere ingemiscunt ac tantum non deficiunt, quid fiet si novo ac inextricabili bello ultimum effundere spiritum cogantur; At belli sumptus Rex Christianissimus largiter offert, heu miseros nos, quotusquisque inde aliquid percipiet, quis hospitationum, quis hysternorum persolvat incommoda? præcium verò fortunarum nostrarum ab amicis aut hostibus raptarum, violati itèmpudoris, uxorum ac liberorum nostrorum undè accipiemus? ut innumera alia belli mala taceam: Sed adhuc aliud succurrit; Si reliquæ Regni vires in Hungariam ac Prusiam raptentur, quis Reip. illud latus quod Turcis ac Tartaris jam in visceribus nostris hærentibus obiectum, eorumque

C

rumque

runique injuriis ad Vistulam usque expositum est, lutabitur? quis alterum quod Mosco objacet, cum quo pactæ judiciæ intra bien- nis spatium effluunt, qui jam tum ob firinatam cum Turcis pa- cem malè animatus amicorum ac fædere junctorum causæ haud defuncturus videtur? Quam egregiè verò cum Rep. ageretur, si pro Gallis Svecisque pugnandi defessa tandem ac exanguis na- tioni Barbaræ prædæ futura esset. Illos quoque, in quos armari nos volunt nè ignoremus, sunt amici vicini ac fæderati nostri nèc lædentes nec læsi: Imperator optimus Princeps, tot affinitatum ac fidæ vicinitatis vinculo, Elector etiam noxu singulari fæderis æterni cum Rep. conjunctus, quo semel violato, æterna, turbas ac bella ex bellis inde oriri necessum est: Hactenus quidem singu- lari Dei providentia latus illud Reip. quod Principum Germano- rum dictionibus objacet, amicum & tutum fuit, ibi securitatem ac præsidium afflictæ invenit, petita inde auxilia, ac bis ab Electro hoc bello Turcico submissa plura etiam submitienda, uti in- terpellatus toties ipse declaravit, si per Svecum licuisset: Quod si & illud ad exterorum libidinem infestum nobis reddemus, quid quæso infelicius erit gente nostrâ inter infensissimos undique po- pulos miserrimum ac precarium trahente spiritum? Sed nec vires ad repellendam injuriam iis desunt: utroque Principum integris ac magnis exercitibus hactenus vincere sveltis, & quod magis est, justâ causâ suffulto, quæ quantum in bello momentum habeat Svecia ipsa recentissimo nos docet exemplo: Demus verò primos nostrorum impetus adversus incautum ac nihil tale metuentem alibi etiam occupatum hostem prosperos futuros: Sed quid tum si Cæsar tantâ subnixus potentia, copiarum partem à Rheno ubi hactenus pro gloria potius, quam pro finibus pugnavit, ad sua tutanda, adversus nos rapiat? Si ab altera parte Elector Brande- burgicus cum infesto exercitu in Majorem contendat Poloniam, id quod factu ipsi facillimum est, devictis jam in Pomerania Sve- cis, præcipuis ibidem munimentis in potestatem redactis, ipsa ur- be Stetinensi ità arctè undique inclusa, ut vel citrà obsidionem ad instar Stadæ legem acceptura sit; siccinè citra ullam causam devictis nos applicabimus, ut simul cum illis præcipientes agamur? quid

quid si fœderati Principes, Belgæ, Dani, universa ferè Germania auxilia submittant? Id enim non magis ex fœderum, quam ex belli & status ratione facere tenentur, & facturos ipsa docet infelix Svecia? Si tandem quod caput omnium malorum & inevitabile est, ipsa Polonia studiis ac factionibus scissa, in partes trahatur, & nosmetipsi furore civili in propria sæviamus viscera? quos tum plausus piis conatibus daturam putatis Galliam Sveciamque cum Polono sanguine suum se redemisse & gladium à proprio vigulo à motum in Reip. viscera impressum sentient? quod si adeò sedet proferre Reip. fines, longè facilior non ità pridem monstrata victoria in occupanda & ad antiquum Reip. Patrimonium, undè injustè avulsa fuit, reducenda Livonia: Sed id Gallicis Svecisque rationibus adversatur adeoque incerta & ancipitia quam tuta ac honesta malumus.

Sed minus fortè periculi suberit si non utrumque simul sed alterutrum ex iis aggrediamur: aut si non publico quidem Reip. nomine in bellum descendamus, sed simulatè & connivendo, sive id fiat per confederationem exercitus sive per Gallicos Svecicosque Ministros, militem Polonum à Rege & Rep. auctoratum suo iterum ære conducturos, suisque non Reip. auspiciis in hostem ducturos: hoc enim mirè placere cautiore nonnullis qui jam tum prævident nunquam Remp. in tam inauspicatum consensuram bellum, compertum mihi est, heu quanto conatu decipi amamus? incautum facilè fetelleris hostem, non æq; gnarum & artes veteratorias quibus impetitur edoctum. Num Cæsarem atque Electorem Brandenburgicum, quos arctè adeò fœderum noxus & arctius adhuc idem utrique hostis stringit, se juncturos se esse putamus in pari causâ quia forte ita nobis expediret? Nec Cæsar à Svecis impetitus est, & tamèn non cessavit in illos pugnare: Scilicet præstat junctas vires hosti opponere quam expectare donèc uno devicto alter etiam subigatur. Jam verò quæ de confederatione exercitus de Polono milite sub auspiciis Gallicis Svedicisque bellaturo agitantur Gallicis quidem Svedicisque moribus digna sunt, indigna prorsus Polonorum gente ac indole, quæ erecta

& decoris avida nescit alienis aulpicis sanguinē & arma sua vove-
 re. Sed & inutilis ista cautio, nam ecquis vicinorum dubitabit, cum
 Bethunium Lilienhökiumq; solo famulatio suo in Poloniam comi-
 tatos subitis exercitibus incedere conspicient, & Polonum istum
 militem esse, Polona arma & venalia? num minorem indē ad-
 versus gentem nostram indignationem concepturas credamus?
 Quicumque permittit quod prohibere aut cavere potest, jubere
 censetur; undē ictus venit, eō repellendus, è Poloniā in Poloniā
 debellandus: nec aliud quicquam inutili hāc effugiemus arte,
 quam ut ipsi met nos propriā damnemus confessione, pudendaq;
 arma nostra prodamus, quæ tot involucris tegi debeant. Sigis-
 mundo Tertio regnante Lissovius quidam rege connivente absq;
 Reip. scitu Imperatori Matthiæ Hungaricis Bohemicisq; moti-
 bus verē oppresso, sex aut septem millia æquitum Polonorum ad-
 duxit auxiliatum. Quamvis causa videretur justa, Imperatore
 Regis affine in ipsā Viennensi urbe à subditis obsessio, tam indignē
 tamen tulit Resp. se in ciā id actum esse, ut in planis comitiis Re-
 gem coegerit, Lissovium & omnes qui ipsum secuti erant, infam-
 iā notare. Rectē id à Rep. dignitatis pariter ac libertatis suæ
 tenacissimā. Nuper tamen idem, mallem & eadem excitu, ten-
 tare ausus est Ribinsvius quidam, quamvis impari & contem-
 nandā manu, cum tamen pessimi res sit exempli, & gravissimos
 jam non minus M. D. Lith. statuum, quam vicinorum convive-
 rit questus, meritu non debet carere vindictā.

Et sane nisi sedulò ac summo studio id præcaveat Resp. hisce
 artibus imprudens & nihil tale cogitans damnosissimo se ac in-
 extricabili implicatam sentiet bello. Proceres imprimis ac status
 Majoris Poloniæ Terrarumq; adjacentium in quibus solis, post
 devastatas Poloniæ minoris atq; Russiæ terras spem suam præci-
 puam Resp. repositam habet. De suo hic potissimum corio, quod
 ajunt, ludi credant, nec enim vicini Principes germani bello im-
 peti possunt quin totum hunc tractum etiamsi ab hostili invasio-
 ne nullus esset metus, per transitus atque hospitationes militares
 funditus everti atq; vastari necessum sit.

Quotiescunq; bellum suscipitur, spes aliqua subesse solet, seu
 ulcif-

ulciscendi injurias illatas, seu alterius alicujus commodi: Nos verò ex hoc cum Cæsare & Electore bello, live vincamur five vincamus certissimum atq; ultimum manebit excidium, nam si vincamur, præde hosti erimus, & Resp. jam plus satis finibus imminuta iterum aliquo sui membro mulcabitur: Si vincamus libertas periclitatur, quâ amissâ quid de reliquis solliciti sumus? Polonum me agnosco, nemini veneratione ac fide in Regem cedo, sed credula ac suspicax est libertas, & castræ virginis instar vel solo aspectu læditur, quid futurum putamus, si ad incitas redactis etiam Polonia Majoris statibus, tota Prussia unius dominio subjiciatur? Stante adhuc dum Rep. vix Poloni adhibemur ad consilia, & si quando rogantur vota in speciem id magis fit quam ut attendi debeant: nec fucum faciat quod in præsens regio hospitio excepti sint præcipui proceres; suspectum id, quia insolitum, quia domestici ambitus speciem habet. Quod si voto nostra minus ex voto aulæ, aut iram aut contemptum excitant. Exteris verò in primis Gallicæ genti major fides atq; autoritas ad illorum nutum omnia, an de futura secreta ipsorum consilia, volentium potius ut libertas Principi, quam Princeps se libertati attemperet: Regnantis potentia alibi fortassis fertur, quia respui non potuit, Polonis intolerabilis est, quorum Rex, quantum satis, potest, sed nihil sine Polonis posse debet.

Videtis pericula, quæ imminēt: monstrabo remedium facile ac tutum, agitur in præsens conventus omnium ordinum: hi si Remp. salvam velint, concordēs inter se omnibus sepositis afretibus agant; ante omnia decernatur pacem cum vicinis. Imperatore in primis ac Electore Brandeburgico servandam, caveaturque severa lege ne sub ullo prætextu aut titulo ista vel directe vel per indirectum violetur. Cum verò id obtineri nequeat, nisi pacta & fœdera, quæ Remp. cum utroque Principe conjungunt, confirmentur, monendus Rex ne ulterius tanti momenti negotium differendo Reip. metum & pericula augeat. Deinceps, quod jam in ultimis Cracoviensibus comitiis constitutum, dimittatur atque ex auctoretur exercitus; sed ne Gallici Svediciq; ministri ea occasione ad excitandam confederationem aut ad con-

ducendos milites ex auctoratos abundantur, primum solvatur n. . .
 jiti stipendium debitum, grave id Reip. sed salutare, & cum inæ-
 stimabili commodo conjunctum, cum inde securitas ac quies
 publica pendeant, porro severissime statuatur, quod quicumque
 absq; scitu aut jussu Reip. externæ militiæ in primis pro Gallia aut
 Svecia contra vicinos amicos & fæderatos Reip. nomen dederit,
 eo ipso fama dignitate honoribus & vita ipsa privari ac sacer esse
 Reip. debeat.

Quod si ex auctoratio exercitus præpropera videntur, non-
 dum firmata prorsus cum Turcis pace, detur Regi licentia, si id
 necessitas jubeat, convocandi per solita universalia totam nobi-
 litatem ad Remp. defendendam: quamvis Episcopus Mesilien-
 sis id pro conventu tumultuoso habeat, firmum tamen semper in
 eo invenit ac habuit Resp. præsidium. Denique carendum, ne
 Gallici in Svedicisque Ministri ulterius Reip. graves sint, neve se
 patriæ rebus immisceant aut eas turbent. Hæc nobis curanda aut
 tristia quævis patienda erunt, hætenus plus satis negligentes
 egimus; torpere ultrâ & polluentiam perpendendamque Remp.
 relinquere, torpor & ignavia videretur, etiamsi nobis quam in ho-
 nesta tam tuta servitus esset.

*Pseudo-Poloni, de statu moderno Reip. Ju-
 dicium redargutum exploditur per
 Equitem Polonum.*

TU quis sis, qui judicas statum alienum; loquela te
 tua manifestum facit. Origine Polonuses; non E-
 questri tamen, sed pedestri natus familiâ: Non solum
 ideò, quia tibi cum cursoribus negotium; sed quia te,
 competendi Equilibus nostris dicendi libertate carere
 nosti: Inde scribendi ac sugillandi licentiam assump-
 sisti: Non tam atramento; quam tonico chartam tu-
 am implevisti: Cum quâ denuò, dum Hercules noster
 à præliis revertitur; tu à prælo occurris. Non ita pri-
 dem

dem Gallico idiomate rebus ad Zoracono gestis oblatras; Jamque responsum tenes. Nunc quo latius venenatus spargeris conceptus, latio sermone in scenam prodis, histrio; Boni viri, non modo judicis, non habens sensum, sententiare audes; & quas innocuæ chartæ impresfisti calumnias, eas Gentis nostræ animis, omni nive candidioribus imprimere contendis. At Æthiopem lavas; non proficiet inimicus in Nobis. Judicium tuum vel ex eo quod Pragâ Pragensem per cursorum allatum, fraternas Czechi apud Lechos refricat clades, pullata illa, & multo sanguine madentia in Foro thetra, numerosa in cinum feretra explicat, germanaq; Czechi Lecho minatur fata: adeo cursorum hunc ceu funestum apparitorem tuum accipimus. Jam verò quid ferat, legamus. Ea fermè, quæ Gallicè hallucinabaris. Primo: Magistibi times post pacem cum Turcis factam, quam cum bellum flagraret. Pacem nostram in fieri esse, non in facto, jam responsum est, quam tamen dum times, jam profiteris, quod eam nunquam optaveris. Ergo nobis bellum optasti, ex voto tuo perituris, fortè alicujus successio- nis spe, quam pridem expetis; cum Indio dicens, Quando morietur & peribit nomen Polonum? Ergo conscientia tua dicat; Te contra nos fecisse talia, nè expediti à bello Tunico, injuriarum à te inflictarum sensum habere valeamus.

Secundo: Duram pacis conditionem, jacturasq; memoras nostras. At, si rectè calculum ponimus, per te stetit, cur meliorem non habeamus. Utiq; fæderata vicinitas, nobis in hoc passu assistere tenebatur: Utiq; non titulum fæderis, sed rem & officium tanto jurium

&

& provinciârum emimus dispendio! Verum dicibile erat naturam mutare iis, qui nobis nomina tanto pretio vendere soliti, hostibus vero nostris rem & subsidia contra nos dare consueverunt. Utinam hic steteret vicinitatis tuæ malignitas; falso rumore confectæ pacis nuper Nos exarmasti, ut inermem Principem nostrum & Remp. inevitabili objiceres fato; Atamen audes exprobare pacem, quam nè talem quidem optasti, cui internecinum Poloniæ bellum cordi erat.

Tertiò adhuc, hallucinaria pacem in Septembri prædictam, & per Gallos Constantinopoli conclusam vanamq; fuisse ad Zoravvno scenam. Non aliud vasserrimi ab ore calumnia toris prodire poterat commentum! At memini te ante quinquennium probasse per Gallos ad bellum Polonicum pretio Turcas inductos, pecuniamq; in Galliâ usum, apud Turcas repperitum, pro summo te habuisse chimeræ tuæ argumento, Unde dum jam pridem frontem amiseris; rubore contra verecundiam à naturâ munitus; mendacis argumentum esto, quod tuo ab ore procedit.

Quarto: Imponis itidem, Galliam in Poloniâ, mutare non finire bellum; dicis, non probas. Cujus farinae erat antecedens, quasi nobis Gallia pacem cum Turca concluderet, Eiusdem & consequens. Habes utiq; in anteriori responsione, quomodo successerit Gallicano & Anglicano Oratori mediationis officium, frustratim cæsus Fæcialis tubicen, commentum tuum fuso sanguine tam lucidè diluit. Potius venusq; dixerim; Vobis turbatoribus nostris non esse cordi ut quiescamus, dum deficiente bello externo, Medusæ dentes seminatis, ut mutuis disidiis tandem & vulne-
ribus

ribus pereamus. Gallia ut videmus, modeste se gerit. Legati ejus non cursitant die noctuq; , nec prehensant quenquam, nec serviliter ut Vos ad ostia majorum & minorum procerum excubant; nec aliud proceribus, aliud Principi suggerunt. Vos bellum ex bello nutrire intenditis, & Principi nostro Regiones quas non habuistis, spolia aliena hujusque offertis.

Quinto: Doles & compassionem praeposteram exhibes, quod reliquum ut dicis, sanguinis Poloni prodigant Galli. An jam ejus potentiae estis, ut jam nos deglutire credatis, jamque nos perditas dolatis si forte vestra contra nos erumpat indignatio: Nec video quod tantoperè allegare valeatis ad terrorem nostri, Nam & Varsaviensi praelio non est curceu victoriâ gloriemini.

Sexto: Dicis Gallicanos Svericosque Ministros fingere quod Regem nostrum suis illigatum consiliis teneant. Quot alia probes, non habes. Tuum est hoc figmentum, impostor optime: Tu talia fingis ad invidiam Principi concitandam. Tu de magnanimo Principe, quod nemo crederet, qui eum novit, Elephantem facis, ad nutum Aethiopsis obsequentem. Hoc demum est effutire verba, non res proferre. Jam duo sunt & amplius anni, ex quo Gallicus hic residet legatus; Quid tamen eorum factum, quæ times; Utiq; Ducalis Prussia & Lauenburgum tanta protectiones experta documenta, qualia nunquam Gallicanus, nec Svericus svasisset Orator; Utiq; eo tempore, quo tu dicis Svericum legatum omnipotentem in aulâ fuisse, idem ipse legatus conquestus est; Quod si Sve-

D

sic

siæ impediti, nunquam accepta eos afflixisset clades. Ergo post bucellam intravit in te satanas; Post beneficia ingratitude. Sed quid mirum? Hic vester à seculo stylus.

Septimo: Quanta chimerae prodeunt ex officina malè feriatæ cerebri! Supponis jam Regem nostrum ad nutus Gallicos ferro igneque, in vicinos, amicos & fœderatos grassari, teterrimam Regis Gallia ad Turcarum Imperatorem, Nostri verò Principis ad Tartarorum Chamum comparatione. Post hæc ostendis, quid Princeps noster patriæ, non verò Gallia debeat. Apocalypsin tuam non refuto, quia inutilis quæstio solvitur silentio. Quantum verò Princeps noster genti suæ debeat, optimè novit. Et quia novit, hoc ipsum times; conscius injuriarum quas nobis feceras. Hinc est ut eam gallizare asseras, nè polonizare caput suum Polonus credat, & amantem redamet; præeuntem sequatur; Regnanti optemperet; Novimus igitur cuniculos tuos, quos inani labore supponis.

Octavo: Quia te in omnes circumagis partem, nihilque intactum relinquis, ad historias recurris. Gallica consilia infausta semper, imò funesta Poloniae fuisse allegas. At quam perperam id facias, vide. In anteriori responso legisti, quanta bona à Gallia gens nostra olim acceperat, scilicet fidem sanctam, primitivos Archi præfules, S. Stanislaum forniavit; Magnum Zamoyscium erudivit. Falsum est Henricum Valesium contemptu gentis abiturum suum adornasse; Quis tam ad vitalicio contentus sceptro, ut hæreditaria non curet? Abiit ipse lachrima bundus invito cum gente nostrâ divortio; brevi se rediturum ut homo proponebat.

nebat, nisi Deus aliter disposuisset, insignis tamen eius modestia gratam eius Poloniae refricabat memoriam. Electus, coronatus Rex, a quo animo tulit Electum successorem; Arma virumque ut alii ex viciniâ paucorum suffragiorum candidati adversus nos non arripuit, neque ullum prætensionis jus in pectore & archivo fovit. Quod autem post Valesium nec piis Ludovicæ Mariæ parcas manibus, quid mirum linguæ in omne nefas projectissimæ? Allegatum censorem dignissimum si sano acceperis sensu, contra te facit. Utiq; & Psaltes dixit; non est Deus, non tamen proprio ex sensu; Unde heu quantum Vobis ingratis beneficiæ Reip. inimicis, negotii fuit una cum muliere? non latet orbem universum. Jam dividebatis cum hostibus nostris spolia nostra. Jam Varmia, Major Polonia, Terra Vielunensis, partibus Mariæburgensibus & Labiaviensibus vestro cesserat dominatui. Hæc mulier curasque gerens animosque viriles hanc vobis excusit offam. Hinc vestra implacabilia erga illam odia, hinc impedita optima eius consilia, quibus Reip. bellatore magno providere cupiebat. Motus autem intestini, quibus ceu infernalibus furiis Patria & optima Princeps exagitabantur, vestrâ id factum opem; Plus dicam, agnovistis id propriâ confessione, quam ab ore Brandenburgici legati Primas Prazniovius acceperat: Palam ille dixit, non placuisse vobis Condæum, quia valdè egregius videbatur. Et hæc est vera ratio cur & modernus Princeps Vobis placere nequeat; quia videtis eum toties sui oblitum, quoties res Polona agitur; quoties vitam sanguinem fortunasque suas, illa, in mortem & pericula, has in tot dispendia pro patriâ litat.

Nono: Afferis non erubuisse Gallos Oratores pro Svecis contra Polonos stare in tractatibus Olivensibus. Quod contra experientiam tenoremq; Paſtorum loqueris; Veriora tibi Varſavienses ad tum usq; diem exprobrabunt. Campi, ubi cum hostibus nostris veloces pedes habebatis ad effundendum sanguinem Polonum, nec tot beneficia ab hac gente accepta mitigare poterant naturalia illa, quæ Vobis insunt erga nos odia. Quæ dum tunc explere non poteritis, huc usque favetis.

Decimo: Profusionem Gallicæ pecuniæ objectas tempore Electionis, ut Gallicis partibus addictus eligeretur Princeps. Dum nuda adfers verba, rem tibi oppono. Si Gallia aurum, tua vicinitas ferrum strin-
gebat. Certo numeravimus unum in finibus Prussiae, alium in finibus Marchionatus exercitum, utroque compatriotam vestrum & consanguineum per summum nefas imponere volebatis. Nobis certum est Gallicanum legatum id solum curasse, ut ille excluderetur ab amico Poloniae throno, qui alienis nos immiscuisset odiis. Multas alias pseudo apocalypses tuos brevitatis causa omitto. Ad illud venio, quod afferis nemini Regum Poloniae ante hac oblatum ordinem Sancti Spiritus, cui leges sunt pro dominatu Regum Galliae stabiliendo. Regi nostro Uladislao an idem ordo non fuerit missus? Sigismundo ab Angliâ periscelides decus? quid tamèn exindè in publicum mali? Fa sunt inter Principes fraterni affectus documenta, bonæ amicitiae tesserae. Et quemadmodum avem Burgundicam velut leonem nunquam timuimus, quam Reges nostri gestabant; Cur sine felle co-
lum-

Iumbam pacis nunciam aquila nostra pertimiscet? Si jumento campus Polonus olim accessibilis erat, cur non innocuo aliti candidioribus cincto liliis? Esto à tot seculis inimicus floribus auster; quid hæc ad nos? De Comitatu Rivusiensi historia malitiosè Regi nostro applicata; eum palam fit, quis illum pro se emerit, ut suam altius proveheret fortunam, luitque pænas sui ausus.

Undecimò: Marchionem Bethunium Cracoviæ militem authorasse dicis Hungariæ inducendum. Jam integer elapsus annus, Eum tamèn militem non videmus; Imò nunc Hungariam tranquillari audimus. Ergo visiones Chimericas jactitas. Et Marchio Bethunicus chimerico stipatus exercitu in imaginatione tuâ, non in Hungariâ regnat. Verius itaque dixerim Berlinensia consilia Varlaviam à Tetranslata; continuaque fieri conventicula, ex quibus per emissarios tuos statum Reip. & consilia turbas; ut denuò Remp. pacis incertum inermemque in nova protrudas pericula. Hæc autem patientiâ nostrâ an diù tibi abuti licebit? non spero.

Duodecimo; Jam verò quod dicis de causis belli adversus vicinos suscipiendi; missum facio. Hoc tantum per modum quæstionis propono, an non justè ageret Resp. si vestris in vos uteretur artibus? Quoties tempestas aliqua in Remp. consurrexit, nosque aliquâ involvit calamitate, statim utique ceu dato signo, cum hostibus nostris in nostrum conspriabatis exitium & tempore angusto extorquebatis à nobis jurium supremitates & provincias: Onerabitis nos summis pecuniariis, & tum expensas belli contra nos

acti computabatis; Turcium in morem solvere jube-
 batis baculum in dorso nostro fractum. Si modo Resp.
 videns eandem occasionem sibi afferri, & dum Vos
 implicatos videt, ad executionem saltem pactorum,
 si non ad restitutionem ablatorum stringere Vos vel-
 let. Cæterum quod dicis de beneficiis Vestris, hoc
 tantum scimus, quod ferro & igne viscera Poloniae
 cum hostibus nostris peragrastis, quod in spolium
 Regni partem ab hoste impetrastis; Tandem velut
 ingentium meritorum grande bravium à nobis acce-
 pistis provincias.

Decimotertio: Extenuas vires nostras lassam
 fessamque Remp. exponis. Cur tamèn eam times?
 Cur credis tibi arma illaturam, quæ vix ossibus hæret?
 Ergo tu credis Gallos posse facere miracula, ut ad jus-
 suseorum prostrata surgat, & ambulet? Vide mali-
 tiam tuam ratione destitutam! Nihil agis, nisi ut tur-
 bes; Misces quadrata rotundis, nec tibi constat.
 Hoc ferre non possum, quod amici vicini & foede-
 rati titulum toties iteras, cum à te nihilamicum, ni-
 hil foederi debitum præstari videam. Turbas res
 nostras domi, & amicum te dicis; Deseris nos foris,
 & fæderati nomine vis censeris? Apage itaque impo-
 stor notorie, securos dormi somnos, cum pro te Ger-
 mania, Dania, Belgium militat: Nec timeas eos,
 quos exangues & enerves dicis. Continè pestilentem
 halitum tuum, nè amplius illudas ingenuæ Gentis
 nostræ credulitati. Præcepta regnandi à te Rex
 Magnus non accipiet, nè Resp. vivendi normam.
 Sufficit jam tantum fuisse præterito anno conces-
 sum tuis commentis, ut plurimi pacem factam cre-
 den-

dentes, tardius, velut extra periculum, agerent. Unde id jam triumphum agemus, quod cum mendacissimo solet agi impostore. Quod tu bellum appellas, pacem vocabimus: Quod pacem dicis, bellum esse credemus; Quos inimicos vocas, pro amicis habebimus. A Galliâ remotâ nihil nobis imminet mali, multum à boni, vel ex eò, quod diversione toties nobis succurrere poterit, quoties tua vicinitas rituale suum secutum, nobis gravis esse inceperit. Vos dum nobis succurrere velitis, arma in viscera nostra immititis; Urbes & fortalitia Vobis concedenda sunt; Tot prætensiones adversum nos geritis; Tot debita numeratis: Penè plus periculi à vobis auxiliatoribus, quam ab invasoribus. Gallia extra Poloniam, Poloniâ juvare possit. Soli hostes nostri belli calamitatem, nos utilitatem sentiemus; quanquam ut tecum sincerius agam, prout à Gallis subsidia non quærimus, ita à Vobis flagitamus, ut nobis nostra relinquatis: Et quemadmodum nos vestra non introspicimus consilia; ita nec Vos nostra. Sinite Regem nostrum habere innocuum ex longinquitate amicum, & cum Ei Vestrum negatis, alienum non invidete affectum.

Concludo tandem, apud nos non easdem ut olim opes & divitias esse; sed arma virosque nobis adesse. Regem Primitivis illis Regibus, nostris heroibus, Vestris terroribus parem. Quò minores opum sacras portamus, eò expeditiores erimus, si fortè, ut præfenti minaris scripto, audebitis laceffere. Vide ne lædas patientiam, quam dum circitas, metas Vocationis tuæ transgrederis, & principi tuo plus nocet quam prodes; Et ni te modestius geras, pænitebit.

Quis

Quis enim non videt, quod velut publicus incendiar-
rius facinorosis scriptis, faces comitiis supponis, dum
venenata scripta per cursores & postarios ad proceres
Regni mittis. Dividis, distrahis; separas à capite
suo corpus, ut quod Barbari non perfecere hostes, si-
mulatus absolvas amicus. Nefas est etiam apud im-
manissimum hostem auram inficere, quâ populos sibi
invisos sternat. Apud Te Christianum, amicum, vi-
cinum, & ut jactas fœdere junctum, fas est & pietas,
aures inficere gentis pestilenti calumniâ! Vide
eandem quo te vesanus abripit
furor.

F I N I S.





Ks 333




ULB Halle 3
005 130 131




WOM

Handwritten signature or initials in blue ink.







Literæ,
de
Pace nuper Polonos inter
& Turcas initâ,
â
Ministro Brandenburgico
in
Comitiis Warfaviensibus
divulgata,
unâ cum
Responsione ad illas à verô civè
Polonicô datâ.

FREISTADII.

